



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacrae Theologiae Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiae Ad Mentem Scoti Cursvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

2. Quomodo dependet assensus conclusionis ab assensu præmissarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

& altera negativa, vna probabilis, altera certa, vt est eu-
dens: ergo non assentimur vno actu conclusioni, & præ-
missis.

Dices ex his haberi quod vno actu nequeat quis assentiri
conclusioni & præmissis *vt quod* contra primam senten-
tiam, non tamen haberi quin eodem actu possit quis assen-
tiri conclusioni *vt quod*, & præmissis *vt quo*, vt tenet ter-
tia sententia.

Contra, quia vel iudicamus præmissas veras esse per as-
sensum conclusionis, vel non iudicamus; si non iudicamus
ergo nec *vt quod* nec *vt quo* assentimur illis; si iudicamus,
ergo assentimur illis *vt quod*; nihil enim aliud est assentiri
alicui *vt quod*, quam iudicare illud esse verum vel fal-
sum.

Confirmatur hoc, quærendo quid est assentiri præmissis
vt quo? si dicas esse assentiri ipsis tamquam rationibus for-
malibus determinandi, seu mouendi intellectum ad assen-
tiendum conclusioni,

Contra quando iudico omnem hominem esse risibilem
ex eo quod iudico omnem hominem esse rationalem, &
omne rationale esse risibile, certum est quod non iudicemus
illas præmissas esse rationes formales determinandi, nos ad
assentiendum conclusioni; imo ad hoc vt id iudicemus, de-
bemus vel aliis pluribus discursibus: quamuis enim illæ
præmissæ iudicæ, veræ determinent & moueant aliquo
modo intellectum ad assensum conclusionis, tamen per
illum assensum conclusionis non iudicamus hoc.

Si dicas assentiri præmissis *vt quo*, non esse aliud
quam assensum conclusionis dicere dependere ab illis
tamquam ab illis, quæ determinant intellectum ad assen-
sum conclusionis; quamuis id concederetur, non est con-
tra conclusionem, quia sic respicere præmissas non est pro-
prie loquendo illis assentiri vlla ratione.

Confirmatur, quia non magis deberet dici intellectus as-
sentiri præmissis *vt quo*, dum assentitur conclusioni, quam
credere *vt quo* reuelationi euidenti, ob quam credit aliquod
mysterium absurdum: sed absurdum videtur dicere quod
intellectus credendo mysterium obscurum, credat vlla rati-
one reuelationi, quæ euidenter proponitur: ergo non est
dicendum quod intellectus assentiendo conclusioni ob
præmissas, assentiatur villo modo eodem actu præ-
missis.

Confirmatur secundo, quia non magis debet eodem actu
intellectus assentiri conclusioni, & præmissis, quam volun-
tas tendere in medium & finem: sed non debet voluntas
eodem actu tendere in medium & finem, aut volendo
vtrumque, aut nolendo vtrumque, aut volendo vnum, &
nolendo alterum: ergo non debet intellectus assentiri eod-
em actu conclusioni, quo assentitur præmissis. Probatur
minor, quia quando quis vult conseruare vitam, tamquam
finem, & in ordine ad hoc non vult interficere se, aut mæ-
ducare cibum venenosum aut insalubrem, per illum actum
nolendi, nec vult conseruare vitam, alias idem actus esset
volitio & nolitio, quod videtur absurdum; nec etiam non
vult conseruare vitam, vt patet, ergo, &c.

6. Et per hoc patet responsio ad obiectionem vnam, quæ
opponi solet conclusioni: non potest quis habere actum
circa medium, vt medium, quin eodem actu feratur circa
finem, vt finem; nec potest quis credere ob reuelationem,
quin eodem actu feratur in reuelationem: ergo nec potest
quis tendere in conclusionem, vt talis est, quin tendat in
præmissas.

Respondeo ex dictis posse quem tendere in medium, qua
tale, sine eo quod eodem actu velit finem, & posse quem
credere ob reuelationem, quin credat ipsi reuelationi, aut
iudicet eam esse eodem actu. Vnde negatur antecedens in
sensu, in quo possit aliquid facere contra conclusionem: &
dico in tali sensu, quia dupliciter potest electio, hoc est
actus quo volumus medium, & fides qua credimus ob reue-
lationem, tendere in finem & reuelationem; *vno modo*,
quatenus dicerent ordinem aliquem ad illa, à quo tamen
ordine non haberetur quod volitio medijs esset volitio finis,
vt actus credendi esset assensus reuelationi; & hanc ten-
dam possumus admittere in electione ad finem, & fide
ad reuelationem, & etiam consequenter in assensu conclu-

sionis ad præmissas: & fortassis doctiores nihil aliud intel-
ligunt aut volunt quam hoc, dum dicunt electionem ver-
sari circa finem, & fidem circa reuelationem, & assensu
conclusionis intellectum assentiri *vt quo* præmissis: & sic
intellecti non essent in re contra nos, sed solum in modo
loquendi, in quo tamen ipsi peiorem videntur habere
partem, quia reuera non est idem respicere præmissas quo-
modocumque, & assentiri ipsis: alias quandoquidem as-
sensus respicit intellectum; deberet quis dici per assen-
sum omnem productum ab intellectu, & respicientem
ipsum, assentiri intellectui.

7. Alio modo potest electio respicere finem, quatenus
esset volitio aut nolitio ipsius, & fides reuelationem, qua-
tenus crederetur reuelatio per ipsam, aut veller quis fi-
nem actu eodem, quo vult media. Et in hoc sensu ante-
cedens facit ad propositum, & à nobis negatur. Iuxta
hanc autem doctrinam potest claritatis gratia distingui
antecedens: non potest quis habere electionem aut fidem,
quin eodem actu feratur in finem & reuelationem, qua-
tenus actus electionis, & fidei dicat aliquam dependen-
tiam ad reuelationem & finem, concedo, quatenus volitio
illa, quæ est electio, sit volitio formalis finis, aut actu fi-
dei, quo creditur reuelatum, credatur etiam reuelatio, ne-
go antecedens. Et similiter distingo consequens: quate-
nus assensus conclusionis necessario dicat aliquem ordi-
nem ad præmissas, concedo consequentiam; quatenus
diceret talem ordinem, vt per eum intellectus assentiatur
præmissis, nego consequentiam.

8. Obiicies secundo: Possunt dari actus distinctæ speciei
circa eandem conclusionem materialiter sumptam: sed
hoc non ex alio capite, quam quod illa conclusio deduci
possit ex præmissis, & quod illi assensus dicant ordinem
ad diuersas illas præmissas: ergo assensus conclusionis
versatur circa præmissas.

Respondeo distinguendo consequens: versatur circa præ-
missas, quatenus dicat aliquem ordinem ad illas, concedo
consequentiam: quatenus dicat talem ordinem vt de-
beat dici assensus talis, quo intellectus assentitur, nego
consequentiam. Si autem quæras, qualem ordinem dicat
ad præmissas, respondebitur quæstione sequenti.

Obiicies tertio: Præmissæ sunt, quæ formaliter deter-
minant intellectum ad assensum conclusionis; ergo assen-
tienti intellectus præmissis per assensum conclusionis.

Respondeo negando consequentiam: sicut enim illo actu
quo intelligimus entia rationis, non intelligimus entia
realia, per quæ tamen determinamur, & mouemur ad illam
intellectionem, cum entia rationis non possint mouere
intellectum: ita in proposito dicendum est.

Q V Æ S T I O II.

*Quomodo dependet assensus conclusionis ab assensibus
præmissarum.*

*9. I*am diximus quæstione præcedenti assensum conclu-
sionis dependere actu ab assensu præmissarum, & id
vel ex hoc ipso certum est, quod non haberetur nisi ha-
beretur assensus præmissarum: etiamsi enim aliquis appre-
henderet tres propositiones obiectivas, ex quibus consti-
tuitur syllogismus, esse optime dispositas in modo & fi-
gura, atque adeo cognosceret certo præmissas non posse
esse veras, quin conclusio vera esset: tamen adhuc nisi iu-
dicaret præmissas esse veras, non assentiretur illarum
conclusioni, vt patet experientia; est ergo aliqua depen-
dentia, & consequenter aliquis ordo in assensu conclusio-
nis ad assensum præmissarum.

Quia vero res aliqua dependere potest actualiter ab alia
tripliciter: *primò* sic, vt quamuis dependeat hic & nunc,
non tamen tam necessario, quin naturaliter etiam possit,
vel illud ipsum, vel aliquid eiusdem rationis cum ipso esse
absque dependentia ad illud, & sic calor dependet quan-
doque à sole, quandoque ab igne, quandoque ab alijs
causis. *Alio modo* sic, vt non possit esse naturaliter absque
illa dependentia, quamuis posset supernaturaliter; & sic
intellectio supponitur communiter dependere à specie
impressa. *Tertiò* sic, vt nec supernaturaliter posset esse
absque

Dupliciter
potest ele-
ctio tende-
re in finem
& fides in
reuelatio-
nem.

Triplaciter
aliquid
potest de-
pendere
ab alio.

absque illo, & sic relatio dependet à fundamento, & secundum Thomistas actus omnis vitalis à potentia vitali.

10. *Hinc dubitari potest*, quoniam ex his modis dependeat assensus conclusionis à præmissis. Quia in re existimo dicendum quod non dependeat à præmissis formalibus tertio modo: cum enim sint actus realiter distincti, non apparet ratio tam necessaria connexionis inter illos, quin possit esse assensus conclusionis supernaturaliter absque assensibus præmissarum; Vnde difficultas est, utrum dependeat necessario connaturaliter loquendo ab assensu præmissarum: & quidem quantum ad hoc non potest esse dubium, quin, quatenus dicitur assensus conclusionis formaliter loquendo, debeat dependere ab assensu præmissarum, quia per assensum conclusionis formaliter intelligimus assensum, qui habetur ex assensu præmissarum: ergo ut sic debet esse ex præmissis, & consequenter, cum dependentia ad illas. Sed dubium est, an ille actus, qui sequitur hic & nunc ex præmissis, & propterea vocatur assensus conclusionis formaliter, possit quoad substantiam, & rationem suam specificam esse connaturaliter loquendo absque eo quod sit à præmissis, seu habeat dependentiam ab assensibus præmissarum: si potest, tum esse assensum conclusionis formaliter loquendo non erit ipsi intrinsicum, sed extrinsecum & accidentale; & non sequitur præcise ex eo quod unus actus sit ex præmissis, & alius non sit, quod distinguantur specie: si non potest, tum esse assensum conclusionis formaliter est ipsi intrinsicum, & ex eo quod unus actus sit ex præmissis, & alius non sit, sequetur quod distinguantur specie.

11. *Rursus*, quia potest aliquis actus habere dependentiam intrinsecam ab assensibus præmissarum absque eo, quod habeat dependentiam tam intrinsecam ab assensibus huius speciei, quin actus talis in specie possit esse cum dependentia ab assensibus diversæ speciei, potest ulterius dubitari, an assensus conclusionis formaliter dicat dependentiam intrinsecam ab assensibus talis speciei, ita, ut naturaliter similis assensus nequeat procedere ab assensibus diversæ rationis.

Denique, quia dependentia assensus conclusionis ab assensu præmissarum vel debet esse dependentia ab illo, tanquam à conditione sine qua non, vel tanquam ab aliqua causa; & quia non potest dependere ab illo, aut tanquam à causa finali, quia sine dubio assensus conclusionis non ordinatur ad assensum præmissarum, tanquam ad finem, sed potius è contrarium tanquam à causa materiali aut formali, cum certum sit nec assensum conclusionis subiectari in assensu præmissarum, quod necessarium esset, ut assensus præmissarum esset causa materialis eius, nec assensum præmissarum subiectari in assensu conclusionis, quod necessarium esset, ut assensus præmissarum esset causa formalis assensus conclusionis: Hinc tota difficultas reducit, an dependeat ab ipsis tanquam à causa efficiente, aut tanquam à conditione sine qua non: & quidem hæc ultima difficultas est, quæ principaliter solet in hac questione examinari, & in ea sunt plures sententiae.

12. *Prima sententia* docet, assensum conclusionis dependere à præmissis in genere: causæ efficientis concurrentis per influxum physicum simul cum intellectu ad eius productionem. Hanc tenet *Mastrius disput. 11. quæst. 3.* qui eam putat esse *Doctores quæst. 1. prol. ad secundum & alios locis*. Eam etiam sequuntur *Thomistæ* communiter rebus *Complutensibus disput. 17. quæst. 3.* qui particulariter rem explicantes dicunt præmissas concurrere ad assensum conclusionis, vel in quantum actus intellectus, quibus assentimur præmissis, producant speciem aliquam intelligibilem, quæ simul cum intellectu producit efficienter illum assensum, vel in quantum illius assensus immediate cum intellectu insistant in illum.

Secunda sententia est *Averse quæst. 25. sect. 3.* assentientis assensus præmissarum solum concurrere per modum conditionis sine qua non, eo modo quo secundum probabiliorem sententiam concurret propositio bonitatis ad amorem: & eam etiam videtur tenere *Arriaga disput. 5. sect. 5.* qui dicit eos concurrere non physice, sed quatenus illumina-

nant intellectum, ac dirigunt illum.

Tertia sententia est aliquorum in manuscriptis, quod assensus præmissarum concurrant per modum conditionis tantum, præmissæ vero obiectivæ concurrant efficienter & physice.

Quarta sententia est aliorum etiam in manuscriptis, quod tam formales præmissæ quam obiectivæ concurrant tantum per modum conditionis sine qua non.

CONCLUSIO I.

13. *Assensus conclusionis habet connaturalem dependentiam ab assensibus præmissarum, ita ut naturaliter talis esset in specie non possit esse absque præmissis formalibus*. Hæc videtur communiter supponi ab omnibus, quamvis *Arriaga disput. 15. num. 23.* dicat aliquos tenere oppositum.

Probat ab *Arriaga*, quia nisi conclusio intrinsece dependet ab assensibus præmissarum, multi essent syllogismi, in quibus non posset assignari quis actus de facto esset conclusio: sed hoc est absurdum, ergo. Probat maiorem, quia sunt aliqui syllogismi constati ex tribus propositionibus quarum una potest esse aliquando conclusio respectu aliarum duarum propositionum, & aliquando præmissa respectu unius ex illis duabus: sed quando proponuntur huiusmodi syllogismi in intellectu, non potest dici quænam propositio ex illis sit conclusio, & quænam non, nisi assensus conclusionis intrinsece dependeat à præmissis: ergo.

Contra hanc reprobationem primo facit, quod æque militet contra ipsummet: nam si ex eo quod ex tribus propositionibus propositis intellectui una possit indifferenti esse conclusio vel præmissa, sequitur non posse cognosci, quænam sit conclusio; etiam ex eo quod una possit indifferenti producere alteram, vel ab altera produci, non poterit cognosci quænam producatur, aut quænam producat, & consequenter non poterit cognosci quænam sit conclusio: sed secundum *Arriagam* si una sit indifferens, ut sit conclusio, & præmissa, erit indifferens ut producatur & producat: ergo secundum ipsum non poterit cognosci quænam sit conclusio.

Confirmatur hoc, quia aut illæ tres propositiones sunt indifferentes ex se ad hoc, ut habeatur actus conclusionis circa unam ac alteram, aut non sunt, sed sunt determinatæ, ut habeatur actus conclusionis circa unam: si secundum dicatur, tunc tota probatio *Arriagæ*, quæ procedit ex illa indifferentia, si verò dicatur primum, ergo ut determinetur intellectus ad assentiendum uni per modum conclusionis, debet aliquid aliud accedere: sed illud aliud potest sufficere ad determinandum intellectum tam bene in sententia aduersariorum, quam in sententia *Arriagæ* ergo.

16. *Contra secundum*, quia quamvis ex hoc discursu *Arriagæ* haberetur, quod conclusio deberet causari ab assensu præmissarum, non sequeretur præcise ex hoc, quod assensus qui est conclusionis, esset essentialiter assensus conclusionis, ut conclusio est; quia quamvis hic & nunc procederetur ab illis præmissis, non sequeretur, quin posset produci assensus talis rationis essentialis absque illis: sicut calor, licet hic & nunc producatur ab igne, potest tamen produci calor eiusdem speciei ab alia causa absque concursu ignis.

Probat ergo aliter conclusio, quia experientia potest unusquisque in se animadvertere, quod non eodem modo fertur in propositionem obiectivam, quando determinatur ad assentiendum ipsi ex præmissis, & quando aliunde determinatur absque assensu præmissarum: ergo signum est quod ille assensus, qui habetur virtute præmissarum formalium, sit distinctæ rationis ab illo, qui haberetur naturaliter absque concursu earum. Confirmatur hoc amplius per dicenda conclusione sequenti.

17. *Probari posset ulterius* ex doctrina *Arriagæ* num. 27. quia si conclusio non haberet ex se rationem aliquam particularem, ob quam exigeret à præmissis provenire, non posset colligi quod dependet physice ab illis principiis, ergo saltem in sententia eorum, qui admittunt huiusmodi dependentiam physicam, debet admitti dependentiam

Assensus conclusionis habet intrinsecam dependentiam connaturalem ab assensibus præmissarum.

Assensus conclusio nis potest naturaliter esse absque assensu præmissarum.

intrinseca, & non accidentalis. Probatur antecedens, quia si non haberet ordinem intrinsecum, ratione cuius exigeret provenire à præmissis, posset ab aliis causis provenire: ergo non posset cognosci, quod proveniret à præmissis.

Hæc probatio nihil valet; nam sicut potest hic & nunc cognosci quod calor proveniat ab igne, licet possit provenire aliunde, ita posset assensus conclusionis provenire hic & nunc à præmissis, quamvis ex aliis etiam causis produci posset; unde in forma nego antecedens cum consequentia suæ probationis.

Et si quæras unde possit colligi quod proveniret à præmissis. Respondeo, ex eo quod non sit alia aliqua causa tum præsens, à qua proveniat, & quod debeat provenire ab aliqua causa; qui est etiam discursus, quo mediante potest colligi, quod calor proveniat hic & nunc ab igne.

CONCLUSIO II.

Assensus
conclusio-
nis depen-
det ab as-
sensibus
præmissa-
rum in par-
ticulari.

18. *Assensus conclusionis non solum dependet à præmissis ita, ut non possit esse naturaliter absque aliquibus præmissis formalibus, sed etiam dependet intrinsece à talibus præmissis formalibus in particulari, ita ut non possit esse naturaliter ab aliis præmissis formalibus diversæ speciei.*

Hæc etiam est communis, & probatur, quia aliàs assensus conclusionis, deductæ ex præmissis obiectivis probabiliter cognitis, posset provenire ex iisdem præmissis scientificè cognitis, & è contra assensus conclusionis, deductæ ex præmissis certo cognitis, posset provenire ex præmissis probabiliter tantum cognitis: sed hoc est absurdum, quia sequeretur quod esset assensus certus & incertus; certus quidem, quia procederet ex præmissis certo cognitis; incertus autem, quia procederet ex præmissis cognitis cognitione tantum probabilis: ergo. Probatur maior, quia nihil impedit nisi quod assensus præmissarum sint diversæ speciei: ergo si non dependeret per se connaturaliter assensus conclusionis ab assensibus determinatis talis speciei, maior esset vera.

19. *Confirmari posset hoc, quia aliàs scientia à priori, & scientia à posteriori de eadem conclusione obiectiva essent eiusdem speciei, & scientia physica ac metaphysica, quia non apparet ratio distinctionis earum, nisi quod præmissæ formales sint diversæ speciei. Sed hæc confirmatio se sola non sufficeret, quia facile posset negari sequela cum sua probatione.*

Ratio autem, unde colligeretur distinctio istarum scientiarum, esset quia dicerent ordinem per se ad diversas præmissas obiectivas; unde quamvis ex hoc etiam sequatur quod dicant ordinem ad diversas præmissas formales; tamen posset dici quod hoc esset per accidens in ordine ad distinctionem istarum scientiarum, quæ distinguerentur eodem modo, quamvis per impossibile istæ præmissæ formales non essent diversæ speciei.

Melius confirmari potest conclusio experientia, qua constat nobis non eodem modo nos ferri in conclusionem obiectivam, quando deducimur in eius cognitionem per præmissas formales huius, & illius speciei.

CONCLUSIO III.

Vnde col-
ligatur in-
trinseca
dependen-
tia conclu-
sionis à
præmissis
formali-
bus.

20. *Licet non possit cognosci ista dependentia intrinseca, quæ est in actu conclusionis ad præmissas formales per hoc præcisè, quod causarent physice & effectivè conclusionem; potest tamen cognosci per hoc, quod & causent illam effectivè, & non possit causari connaturaliter loquendo absque præmissis, neque ab aliis præmissis, quam huius rationis. Hæc etiam debet esse in se communis.*

Probatur prima pars, quia aliquid potest causare physice aliud, quod non habet huiusmodi dependentiam intrinsecam ab illo, ut patet de igne respectu caloris: ergo non potest ex causatione physica præcisè colligi quod sit talis dependentia.

Probatur secunda pars, quia eo ipso quo aliquid non potest produci ab alio quam ab homine, v. g. sequitur quod dicat dependentiam particularem actualem ad hominem, quoties datur, sine qua esse non posset connaturaliter; & hinc quoties videmus aliquos effectus ex natura sua intrinseca determinate sibi causas distinctæ speciei,

colligimus illos esse diversæ speciei.

CONCLUSIO IV.

21. *Præmissæ formales concurrunt efficienter ad productionem conclusionis, & non mediante aliqua specie, sed immediate. Hæc est iuxta primam sententiam ex præmissis contra secundam.*

Probatur secunda pars, quia superflue requireretur species vlla producta per illas præmissas formales ad productionem conclusionis: quia enim ratione possent concurrere ad productionem illius speciei immediate, possent etiam ad productionem conclusionis.

Probatur ergo prima pars, in qua sola est principalis difficultas, quia ipsamet præmissæ obiectivæ, & conclusio obiectiva cum speciebus quibuscumque ab iis productis, & apprehensione, ac etiam iudicio necessariæ connexionis, quam habet veritas conclusionis cum præmissis, non sufficiunt ad determinandum intellectum ad cognitionem conclusionis: ergo aliquid aliud requiritur ad concurrendum physice cum intellectu; sed nihil præter assensus præmissarum, quibus positis necessariò sequitur ille assensus conclusionis: ergo assensus præmissarum concurrunt physice cum intellectu. Probatur antecedens, quia experientia constat quod, positis iis omnibus absque assensibus præmissarum, non sequitur assensus conclusionis.

Responderi posset negando consequentiam, quia licet sequatur, quod aliquid aliud requiratur, non tamen ut concurrat physice; quia posset requiri tanquam conditio sine qua non, sicut requiritur cognitio ad amorem.

Sed contra primo, quia ad diversitatem specificam assensuum præmissarum sequitur diversitas specifica in assensibus conclusionum, etiam si conclusiones obiectivæ, & præmissæ obiectivæ sint eiusdem speciei: ergo assensus illi non sunt conditiones sine quibus non respectu conclusionum formalium. Probatur consequentia, quia ad varietatem specificam conditionis sine qua non præcisè, non sequitur diversitas specifica in effectu sequente, ut patet à priori, quia non potest bene concipi quomodo id fieri possit; & à posteriori, tum quia de facto ex maiori, vel minori applicatione calidi ad passum non sequitur effectus productus ex illo esse diversæ speciei; tum, & magis directe ad propositum, quia actus misericordiae sequens ad iudiciū probabile huius speciei de bonitate misericordiae; non distinguitur specie ab actu sequente ad aliud iudiciū probabile, aut certum, etiam distinctæ speciei, si cetera sint eiusdem rationis, ut omnes tenent: ergo varietas conditionis sine qua non, & præsertim si sit talis conditio, qualis est iudicium intellectus, non variat sequentes effectus.

23. *Nec refert, quod amor proveniens à charitate in via sit distinctæ rationis ab amore proveniente ab ipsa in patria, quamvis charitas habitualis, & voluntas sint eiusdem rationis utrobique, quandoquidem hæc varietas non oritur ex varietate propositionis obiecti utrobique, aliàs amor, quo amaret quis Deum cognitum per fidem naturalem, esset distinctæ speciei ab amore quo amaretur, ut cognitus per scientiam aut opinionem naturalem, contra omnes: sed oritur ex eo quod cum illa varietate propositionis formalis sit etiam varietas ex parte obiecti: nam Deus in se secundum rationem particularem distincte proponitur in patria, & non proponitur sic in via, sed secundum conceptum abstractivum & confusum; unde ex parte obiecti est diversitas sufficiens, ratione cuius possent causari amores isti diversi: sed quando per diversas cognitiones idem ipsum obiectum secundum eandem rationem cognoscitur, ut contingit in casu nostro, & præsertim per cognitiones eiusdem ordinis, profecto ex varietate cognitionis non deberet argui varietas in effectu, si solum se haberent per modum conditionis sine qua non.*

24. *Probatur posset hæc pars aliter, quia præmissæ formales substituantur loco speciei impressæ determinantis intellectum ad assentiendum conclusioni: sed illa species determinat intellectum efficienter: ergo & præmissæ formales suppleant locum eius. Propter hoc argumentum concedit*

Præmissæ
formales
concurrunt
efficienter
ad assen-
sum es-
sentialis
immediate
sine specie.

concedit *Arriaga* num. 61. dum intellectus assentitur præmissis, interuenire speciem aliquam conclusionis, quæ effectiue ad eam concurrat, & deinde contra hoc obicit nouam, vt ipse ait, & grauem difficultatem, quia posset fieri, quod non haberet quis speciem conclusionis, vt si numquam ante cognosceretur veritas conclusionis: in tali casu præmissæ concurrerent efficienter, quia nihil aliud esset, quod suppleret defectum istius speciei.

Et si dicatur, quod si tum præmissæ producerent speciem conclusionis, quæ concurrere posset effectiue, & que posset dici, quod sicut concurrerent ad speciem conclusionis, concurrerent ad ipsammet conclusionem.

Ad hoc respondet Arriaga, quod in tali casu species ipsarum præmissarum formalium concurrunt, non verò ipsamet præmissæ, quia actibus intellectus non tribuitur ista virtus, vt vna alteram possit producere.

25. *Sed certe nec hac probatio, nec doctrina Arriagæ* vlllo modo placent, non quidem probatio, quia falsa est absolute maior; non etiam doctrina *Arriagæ* primo, quia si intelligit vllā speciem conclusionis interuenire præter species, quæ deseruiunt ad simplicem apprehensionem conclusionis obiectiue, omnino falsum est, quia gratis & superflue assereretur talis species, nec potest assignari à qua causa produceretur, nam quæcumque causa ipsam produceret, posset æque bene producere ipsammet conclusionem formalem. Si autem intelligat interuenire debere illam speciem quæ requiritur ad simplicem apprehensionem conclusionis, male supponit eam vllum, in quo illa non sit, impossibile enim est absque illa haberi iudicium de conclusione, saltem naturaliter.

Secundo, quia male asserit, quando primo producit assensus conclusionis, ad eam concurrere species præmissarum formalium; nam multo melius adscriberetur illa productio ipsimet præmissis formalibus, si non sufficeret concursus ipsorum per modum conditionis sine qua non, quod si diceretur sufficere huiusmodi concursus in præmissis formalibus, ipsamet præmissæ obiectiue & conclusio obiectiua posset sufficere cum intellectu, tanquam causa effectiua adæquata ad producendum efficienter assensum conclusionis, supposita illa conditione sine qua non, & gratissime requireretur concursus vllius alterius speciei.

Confirmatur conclusio, quia maiorem videtur habere causalitatem assensus præmissarum circa conclusionem, quam prima apprehensio circa iudicium, vt fatetur ipsamet *Auerſa*, & patet ex eo quod assensus hic infertur illatiue, & quasi per impulsu quendam ex assensu præmissarum, quod non est verum de iudicio respectu apprehensionis: sed apprehensio habet rationem conditionis sine qua non respectu iudicii; ergo assensus præmissarum habet plusquam rationem talis conditionis, & consequenter habet concursum effectiuum.

26. *Obicitur primo*. Propositio intellectus tam necessario requiritur ad actum voluntatis, & simplex apprehensio ad iudicium, quam assensus præmissarum requiritur ad assensum conclusionis, & tamē illa propositio non habet aliam causalitatem, quam conditionis sine qua non respectu actus voluntatis, sicut nec apprehensio respectu iudicii; ergo idem dicendum de assensu præmissarum respectu assensus conclusionis.

Confirmatur, quia vnus actus intellectus non debet habere virtutem productiuam alterius.

Respondeo negando consequentiam, quia exigentia actus intellectus ad actum voluntatis est solummodo per modum applicationis obiecti ad voluntatem, & consequenter sufficit vt dicatur conditio sine qua non; & idem est de apprehensione respectu iudicii, nec est vlla ratio particularis, ob quam dicatur concurrere efficienter; non est autem ita de assensibus præmissarum respectu conclusionis, vt patet ex dictis.

Ad confirmationem obiectionis nego antecedens, tam facile quam asseritur.

27. *Obicitur secundo*: Potest haberi assensus conclusionis, quando actu non sunt propositæ præmissæ, & quando consequenter non habetur actu assensus præmissarum,

vt quando quis recordatur se probauisse aliquam conclusionem bono discursu, & obliuiscitur discursus: et ergo assensus formalis præmissarum non concurrat effectiue ad assensum conclusionis. Probatur consequentia, quia illa causa, quæ sufficit ad assensum conclusionis, quando præmissæ non proponuntur, sufficit etiam quando proponuntur, & consequenter superfluit concursus præmissarum.

Hæc obiectio æque militat contra aduersarios ac contra nos. *Responderetur* autem primò negando consequentiam, quia illa causa, quæ sufficit ad assensum conclusionis, tum non habetur quando adsunt præmissæ actu propositæ: illa enim causa, quæ sufficit tum cum intellectu, non est ipsa conclusio apprehensa, nec conclusio apprehensa simul cum præmissis, sed vltterius requiritur memoria discursus præteriti in confuso; memoria autē illa non habetur, quando actu proponitur ipsamet discursus, vt patet. Quod si etiam tum haberetur illa causa nõ deberet concurrere, quia solū habet concurrere, quando absunt illæ præmissæ, quarum defectū supplet, vnde non debet concurrere, quando actu habentur.

28. *Respondeo secundo* negando haberi assensum conclusionis in absentia præmissarum eiusdem rationis cum illo, qui habetur iisdem propositis, quidquid dicat alij. Moueor ad hoc negandū, quia vnus assensus dependet actualiter à memoria alicuius discursus in confuso, & est assensus in se etiam minus clarus quam alter assensus, & minus certus; alter autem assensus dependet ab actuali discursu determinato, & est magis clarus & certus; vnde facilius posset quis dubitare de veritate assensus habiti per memoriam, quam assensus habiti per actualem discursum; id quod de assensu demonstratiuo videtur euidenter, de quo non potest quis dubitare quando præmissæ actu proponuntur: sed quando quis assentiretur eidem conclusioni propter memoriam tantum confusam, qua recordaretur se habuisse aliquando discursum demonstratiuum, posset dubitare de veritate eius, dubitando scilicet de infallibilitate memoria.

29. *Confirmatur hoc*, quia quando quis assentitur conclusioni propter discursus distinctæ rationis, & diuersa media, habet assensus distinctæ rationis, & ipsamet per reflexionem potest aduertere illam diuersitatem; sed quando postea assentiretur eidem conclusioni ob memoriam alicuius discursus ante habiti, & confuse cogniti, non posset aduertere, an actus, quem haberet, conueniret potius cum vno quam cum altero ex assensibus illis pluribus habitis antea; nec etiam esset vlla ratio, cur assensum vnum haberet prius, quam alterum: ergo potius dicendum est, quod neutrum haberet, sed alium actum distinctæ rationis.

Et si quæras, quid determinat effectiue intellectū ad assensum conclusionis, quando præmissæ actu non proponuntur. *Respondeo* speciem impressam ipsiusmet assensus ante habiti, & aliquando quidem hanc solam, & aliquando simul cum hac concurrere speciem, qua recordamur nos aliquando deduxisse illam conclusionem ex aliquibus præmissis. Itaque quando recordamur nos assensisse certo vel probabiliter conclusioni, & non recordamur an ad hoc deducebamur per præmissas, nec ne, tum species ipsiusmet assensus ante habiti sufficit ad determinandum nos ad assentiendum iterum eidem conclusioni. Quando vero recordamur nos assensisse illi conclusioni propter aliquas præmissas, tum species assensus conclusionis & præmissarum in confuso cognitarum nos determinant.

CONCLUSIO V.

30. *Non sufficit apprehensio præmissarum obiectiuarum* Requiruntur ad assensum conclusionis, ac etiam assensus præmissarum obiectiuarum ad determinandum intellectum ad assensum conclusionis, nisi iudicium de connexionem quatuor sillogismus sit optime constructus.

Hæc patet, quia vltterius requiritur iudiciū de necessaria connexionem veritatis conclusionis cum veritate præmissarum; quod iudiciū non semper causatur ex assensibus præmissarum & apprehensione earū ac conclusionis.

Magis dependet assensus conclusionis à præmissis, quam iudicium ab apprehensione.

Non habetur talis assensus sine præmissis quæ illis habetur cum illis.

vt patet manifeste in syllogismis factis in aliis modis præter quatuor primos modos primæ figuræ, nam eorum consequentia non est tam euidentis, quin requirat probationem per reductionem eorum ad quatuor illos primos modos, aut per reductionem ad impossibile: & hoc ipsum videtur intendi per eos auctores, qui exigunt ad assentiendum conclusioni præter assensum præmissarum iudicium de bonitate consequentiæ: nam hoc iudicium videtur esse iudicium de necessaria connexione veritatis conclusionis cum veritate præmissarum: quod si aliud volunt, omnino falluntur.

Quid determinat ad iudicium de bonitate consequentiæ.

31. *Et si quæras*, à quo causetur hoc iudicium. *Respondeo* aliquando illud causari ab ipsomet syllogismo obiectiuo apprehenso, quando scilicet est syllogismus perfectus ac clarus, hoc est factus in quocumque ex quatuor primis modis primæ figuræ, aliquando verò causatur per illum discursum, quo cognoscitur syllogismus obiectiuus posse reduci ad illos syllogismos primæ figuræ; aliquando denique per illum discursum, quo cognoscitur, quod si negaretur consequentia, reduci posset eam negans ad impossibile.

Si quæras rursum, an hoc iudicium concurrat effectiue ad assensum cōclusionis. *Respondeo* affirmatiue propter easdem rationes, propter quas idem dixi de iudicio præmissarum, quæ de hoc æqualiter concludunt.

CONCLUSIO VI.

32. *Præter has dependentias conclusio formalis, seu assensus conclusionis obiectiuæ nullam habet dependentiam a præmissis.* Hæc est conformis primæ sententiæ supra relatæ, quæ non specificat aliam dependentiam conclusionis à præmissis, quam dependentiam in genere causæ efficientis.

Probatur autem breuiter, quia positis his dependentiis solis habebit actus perfectissime rationem conclusionis formalis, & eo non posito non haberet talem rationem, nec est vlla necessitas aut indicium vllius alterius dependentiæ: ergo.

Et hinc patet manifeste, primò assensum conclusionis non dependere immediate à præmissis obiectiuis, nec vlla ratione, nisi quatenus illæ requiruntur ad cauenda iudicia de præmissis, & necessaria connexionem veritatis conclusionis cum veritate istarum præmissarum. *Patet secundo*, per actum conclusionis non ferri nos in ipsas præmissas obiectiuas, aut formales formaliter, & explicite, quia ex his dependentiis non sequitur quod ita feramur, nec ex experientia ipsiusmet actus conclusionis, aut ex vlla alia ratione id colligitur; ergo frustra ac gratis id asseritur: & per hoc confirmatur resolutio nostra in præcedenti conclusione.

33. *Obiicies*: sicut per actum electionis ferimur non solum in media, sed in finē, ita per assensum conclusionis non solum tendimus in conclusionē, sed in præmissas: sed non solum ferimur in finem per electionē quatenus electio causatur physice à fine aut intentione ipsius, sed alia ratione particulari: ergo similiter dicendū de conclusionē, & cōsequenter est alia dependentia cōclusionis ad præmissas præter dependentiā effectiuā.

Confirmatur: quamuis Deus se solo produceret cum intellectu assensu conclusionis, adhuc per eū tenderemus actu in præmissas, alias non esset conclusio: ergo habet aliū ordinem ac dependentiā ad præmissas præter illum, quem dicit ad illas, vt ad causas efficientes.

Confirmatur secundo, quia in discursu aliquid in mente correspondet particulæ illatiuæ, ergo, & illud in nobis experimur: sed illud nō potest esse dependentia ad præmissas, vt ad causas effectiuas, quia non expectimur illā dependentiam, sed eam colligimus per discursū, si tamen detur vlla ratio; ergo aliqua alia dependentia & ordo est in assensu cōclusionis præter dependentiā illā effectiuā.

34. *Respondeo* primò forte minorem esse fallam, quia fortassis solū volumus directe ipsa media per illū actū, & licet dicamur etiam tendere in finē, per hoc tamē nihil aliud denotatur, nisi quod nō vellemus media, nisi tenderemus in finē per alium actum determinantē voluntatem ad illā electionem. Quod si experientia aliqua

constet oppositū de electione, nimirum quod actu per illum ordinem media ad finē ita, vt respiciat actu finē etiam, tum *Respondeo* secundo negando maiorem, quia certe talis experientia non est de assensu cōclusionis, imo potius opposita, vt facile quis in seipso animaduertat, si reflectat supra illū actū, quo assentitur conclusioni. Quid autem reuera dicendū sit de dependentia electionis à fine, dicitur in libris de Anima disput. de Voluntate.

Ad primam confirmationem Respondeo negando antecedens, ad cuius probationem dico esse quæstionem de nomine, an tum vocandus esset ille actus conclusio, necne; nam si per conclusionē intelligatur actus causatus actualiter per influxum præmissarum, non erit actu conclusio, nec necessarium est quod sit actu conclusio; si autem intelligatur per conclusionem actus ille, qui connaturaliter exigit à præmissis produci, & sine quibus naturaliter produci nequit, erit conclusio, etiam in tali casu: quid autem intelligendum sit per conclusionem, est mera quæstio de nomine.

Ad secundam confirmationem Respondeo, illud quod correspondet particulæ, ergo, esse necessariam connexionem, quæ proponitur inter veritates præmissarum, & veritatem conclusionis obiectiuæ, quam connexionem iudicamus esse inter illa, quoties assentimur conclusioni, & consequenter experimur nos illamcernere; vnde in forma *Respondeo* negando consequentiam, quia illud, quod significatur per ly ergo, non reperitur in ipsamet conclusione formali, seu assensu conclusionis obiectiuæ, sed potius est aliquid prærequisitum ad illum assensum habendum, connaturaliter loquendo.

39. *Obiicies secundo*: Assensus præmissarū dicitur alium ordinem ad præmissas obiectiuas earumque species, quam dependentiæ in genere causæ efficientis; & idem est de assensu conclusionis respectu ipsiusmet conclusionis obiectiuæ: ergo idem est dicendum de assensu conclusionis respectu præmissarum vel formalium, vel obiectiuarum, vel vtrarumque. Probatur antecedens, quia quamuis actu non causarentur assensus præmissarum à præmissis obiectiuis, nec assensus conclusionis ab ipsa conclusione, adhuc actualiter respicerent illa.

Respondeo negando consequentiā, & ratio disparitatis est, quod per assensum præmissarū formaliter respectu intellectus in ipsas præmissas obiectiuas, & ex natura sua intrinseca habeat ille assensus declarare naturam istarū præmissarū, vnde dicit huiusmodi ordinē actualē manifestatiui ad ipsas, & idē est de assensu cōclusionis respectu ipsius conclusionis; sed assensus cōclusionis non tendit ex natura sua formali actualiter in præmissas vllas declarando illas aut determinando intellectum formaliter ad ipsarum considerationem.

Ex quibus vltius patet rationē cōclusionis formaliter haberi, vel à sola exigentia dependendi in genere causæ efficientis à præmissis formalibus, & iudicio de necessaria connexionem veritatis conclusionis cū veritatibus præmissarum; vel certe ab illa exigentia & etiā à dependentia actuali superaddita ipsi. Cuius oppositum videtur docere *Arriaga disput. 15. sect. 4. subsecutione prima*, ad cuius fundamenta per iam dicta patet responsio.

QVÆSTIO III.

Virum positis præmissis necessitetur intellectus ad assentiendum conclusioni.

36. *S*uppono ex sūmulis syllogismū esse orationē, in qua quibuscūq; positis aliud ex his, quæ posita sūt, necessario sequitur, eo quod hæc sūt id est esse orationē, in qua duæ propositiones ita inter se disponuntur, vt alia propositio ex iis necessario sequatur: quæ duæ propositiones sic dispositæ vocantur *præmissæ*, tertia vero, quæ ex iis sequitur, vocatur *conclusio*. Itaq; cōtrouertitur vtrum intellectus assētiens præmissis sic dispositis, & apprehendens conclusionē, ac iudicās præmissas esse rite dispositas in modo & figura, necessitetur ad assentiendū cōclusioni, & hoc nō solū necessitate specificationis, sed etiā exercitii. Voco autē *necessitatē specificationis* illā, quæ necessitetur ad producendū assensū circa conclusi-

Quid necessitate specificationis.